

lectandi causa, coegerat. Is tabulis testamenti, a. 1614. conditis, praeter alia, memoria posterorum non indigna, ordinauerat, ut cimeliarchium suum, post vniuersitatem, quem reliquit, nati decessum, partim legati titulo, partim pretio aequo constituto, ad Serenissimum Principem atque Dominum suum transiret integrum. Mortuo illo, a. 1616. accepit tabulas Princeps optimus, atque ut firma staret viri voluntas, suis effecit iussis, Ser. EBERHARDO III. tandem Duce, postquam a. 1653. fatis concesserat filius Guthii *Ludouicus*, cimeliarchium, illud in primis etiam selecta cum antiquorum, tum recentioris aeui numorum copia insigne, ad possessiones Cels. Domus transit Wirtembergiae. Manu exscriptus adhuc seruatur, Guthianorum, qui dicitur, numerum in Museo hoc, Catalogus, a. 1669. perfectus. Noua jam, Ser. EBERHARDI cura, cepit incrementa thesaurus praestantissimus. Versabatur hoc ipso anno in his terris Sagacissimus ille omnis antiquitatis perscrutator *Car. Patinus*. Certos nos faciunt de hac re indices numorum, Patini manu conscripti, quos Ducalis Numophylacii Bibliotheca conseruauit. Mentionem iniicit huius libri, vir litteratissimus *Anselmus Bandurius*, in Bibliotheca Numaria, quae praedicto ipsius operi, de Numismatibus Imp. Romanorum praefixa est, p. 49. & in editione Fabriciana, p. 91. seqq. verbis: „dum peregrinaretur, (Patinus) plera Clemmii novae Amoenit. lit. fasc. I. B que